



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

12. Qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

cipi negat. Quid ergo? Simplex (inquit) sensus est: Quum natura apti sint quidam ad coniugium, licet abstinereant, non tamen Deum tentare, quia Deus immunitatem illis concedit. Placet sanè hic sensus, quia verus est. Sed contra liberam continentiam hoc nihil facit. Qui enim ad coniugiũ apti abstinere tamen, tum ex Dei dono abstinere, ideoque Deum non tentant; tum liberè & ex propria sua voluntate abstinere, nec vlllo p̄cepto coacti, nec vlla ex gratiæ dono necessitate imposita. Et ideo sicut Christus dicit, *seip̄os castrauerunt*, sibi ipsis continentia perpetua (hoc enim caltrandi vox concludit) legem imposuerunt: non quasi libero arbitrio subijceretur hæc castratio, vt Cælinus loquitur, aut quasi solius liberi arbitrij hoc opus esset, sed quòd ex Dei dono liberè suscipitur. Quod adeo verum est, vt plerique sanctissimi Patres, illa Christi verba, *Non omnes capiunt verbum hoc*, exponant, *Non omnes volunt capere*. Gregor. Nazanz. orat. 31. Basilus in lib. de vera virginit. vltra medium: Chrysost. & Hieron. in hunc locum: August. Confess. lib. 6. cap. 11. Nempe quia credebant, volentibus omnibus & petentibus, non negari hoc donum: ideoque capere hoc verbum omnes posse qui capere serio cupiunt, mediãque adhibent ad hoc donum impetrandum requisita, vt docet August. de adulter. coniugijs libro 2. cap. 19. & 20.

12. *Qui seip̄os castrauerunt propter regnum cælorum.*

Virginitatis meritum.

HÆC Christi verba sic intellexit Catholica semper Ecclesia, vt voluntariæ continentia mercedem esse regnum cælorum ex hoc loco indubitata colligeret. Ita quippe doctissimi Patres ante multa secula hæc verba

verba acceperunt, Hilarius, Hieronymus, & Chry-
 sostomus in hunc locum. Virginitatis quoque me-
 ritum & praemium caeleste varij Patres studiofif-
 sime praedicarunt, integris de ea re libris editis. Ba-
 silius de vera virginitate; S. August. de sancta vir-
 ginitate tom. 6. Ambrosius libris 3. de virginibus:
 Hieronymus utroque libro contra Iovinianum,
 qui hoc nomine damnatus est, quod virginitate
 virtutem esse speciale negaret, & nihil apud Deum
 mereri dogmatizaret. Cuius stuporem hoc loco
 imitatus Calvinus, aperto & impudenti ore scri-
 bit: *Stulta est imaginatio, celibatum esse virtute.* Eadem
 impudentia omnium veterum Patrum hac dere
 iudicium quasi Papistarum hodie novam aliquam
 sententiam, more suo, rejicit. Ait enim, *Insulse ex-*
ponunt multi ad promerendam aeternam vitam, quasi celis-
batus meritorium aliquem cultum in se contineat, sicuti Pa-
pistae fingunt statum esse Angelicum. Haec ille. Atqui
 non Papistae hoc fingunt, sed omnes toto orbe do-
 ctissimi Patres ita tradiderunt libris ac locis cita-
 tis. Verba quoque Christi, *propter regnum caelorum*
 alium sensum habere non possunt quam ut cau-
 sam designent castrationis voluntariae: sicut in
 alijs Christi verbis: *Qui persecutionem patiuntur propter*
iustitiam. & iterum: *Quomaledixerint vobishomines*
maledicentepropterme. Utrobique illud propter rationem
 causae habet, ut causa persecutionis & maledictio-
 nis quae beatos facit, sit ipsa iustitia & fides Chri-
 sti. Sic regnum caelorum hoc loco causa est cur non-
 nulli se ipsos castrant, id est, perpetuae continentiae
 propositum arripiant. Causa autem est quatenus pro-
 pter illud consequendum continentia allumitur. Aliae
 quidem sunt etiam continentiae voluntariae causae, ut
 liberius posse Deo servire (quam hic assignat Cal-
 vinus) & *tribulatione carnis carere, ut Paulus docuit.*
 Sed

Calvini
 petulca
 impu-
 dentia.
 Papista-
 rum no-
 mine totae
 Antiquita-
 tem per-
 stringit
 Calvinus.

Matth. 5.

Sed Christus hoc loco illas omittens, voluntariæ continentiae non praesens emolumentum, sicut Paulus, sed futurum praemium proponit. Ipsum sane regnum caelorum, quod neque qui eunuchi nascuntur, neque qui ab hominibus castrantur, eo nomine consequuntur: tamen utriusque illi hoc emolumentum quoque habent ex necessaria illa sua continentia ut liberius Deo seruiant, cuiusque omnibus soluti ad pietatis officia alacrius se accingant. *Sunt autem*, ait Christus, *qui se ipsos castraverunt propter regnum caelorum*, id est, ut consequantur regnum caelorum, quasi tantae virtutis amplissimam mercedem, qua caeteri eunuchi carent quatenus tales sunt: quia non id voluntate operantur, sed necessitate patiuntur. Hic est simplex & apertus verborum Christi sensus.

12. *Qui potest capere, capiat.*

HAEC Christi verba prorsus inuertit Calvinus: & quod Christus de caelibatu seu voluntaria castratione dixit, de coniugio exponit. Sic enim ad haec verba ait. *Hac clausula admonet Christus minime spernendum esse coniugij usum, nisi caeca temeritate nos in exitium praecipites dare velimus.* Vult ergo Christum his verbis hortari ad coniugium: quum luce meridiana clarius sit ex verbis proximè praecedentibus, *Qui se castraverunt*, &c. hanc clausulam Christum intulisse, *Qui potest capere*, scilicet hanc voluntariam continentiam, *capiat.* Nec hic ad coniugium Christus hortatur, nec id opus erat facere, ad quod homines natura proclives sunt: sed ubi vinculum illud coniugij indissolubile docuisset, eaque doctrina Apostolis incommoda & dura videretur, quia libertatē repudi-

Verborum
Christi
corruptela
prodi-
giola.